



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

VII. Vtrum solus Deus sit infinitus, & immensus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

que dantur prædicata positiva. Quia omnia, & singula talia possunt significari ad modum negationum, duplicando voces negativas; ut si aſeitas dicatur non insufficientia ex se præcisè ad esse; omnipotentia non impotentia ad quidquam absolute possibile. Prædicata Dei positiva, quatenus sic significata negativè, non numerantur communiter inter attributa negativa. Quia est modus significandi innaturalis, & per accidens. Prædicata verò Dei, quatenus concepta relatè ad imperfectiones creatas conceptu formaliter, & explicitè exclusivo ipsarum, dicuntur propriè attributa negativa; sicut dicuntur positiva, quatenus concipiuntur relatè ad perfectiones creatas conceptu formaliter, & explicitè inclusivo ipsarum.


Art. 5. Vtriusque generis conceptus sunt in nobis multiplices respectu Dei, intra tamen numerum determinatum. Sunt quidem multiplices. Quia, cum omnis cognitio creata de Deo sit inadæquata, ac insufficientis; & quæ habetur in via, habeatur mediantibus creaturis, quæ non possunt omnes, sub vnum simul conceptum, distinctè venire; & quæ sunt invicem diversæ pariant diversas invicem manifestationes Dei: opus est, ut multiplicatis diversis diversarum rerum conceptibus, defectum, ac insufficientiam singulorum utcumque suppleamus circa Deum; atque variis hinc inde scintillis in vnum coniectis excitemus in nobis divinitatis fulgorem, licet semper nimis tennem, aliquatenus tamen magis conspicuum, ac hilarem, seu potius minus tenebrosam, minusque miseram. Sunt verò intra numerum determinatum, eumque non valde magnum, quia perfectiones, & imperfectiones creaturarum nobis notæ, atque inter se diversæ, sunt finitæ; & quæ possunt excitare in nobis cognitiones de Deo discernibiliter, ac notabiliter diversas, rediguntur ad paucas admodum classes. Quæ de causa omnia prædicata Dei rediguntur communiter à Theologis ad paucas attributa; (seu ut loquuntur antiquiores, præsertim Sancti PP. nomina,) tùm positiva, tùm negativa.

Art. 6. Attributis negativis notificatur Deus per remotionem, ac elongationem à creaturis, quatenus imperfectis. Attributis verò positivis notificatur idem per assimilationem, & convenientiam cum iisdem, quatenus prædictis aliqua perfectione. Quia autem imperfectio creaturarum, atque elongatio, & distantia à Deo, est infinite maior, ideoque notior, & magis conspicua, quam ipsarum perfectio, atque similitudo, & convenientia cum Deo; propterea attributa Dei negativa sunt notiora, & consequenter priora ratione quoad nos, quam attributa positiva; licet, loquendo per se, & respectu intellectus perfecti, aut perfectè dispositi, sit prius in vnoquoque positivum, quam negativum. Quæ est intentio D. Thomæ loco indicato in secundo argumento.

Art. 7. Eodem modo apparet nobis magis perfectio Dei, estque præinde Deus perfectior, ratione nostra, constituitque attributum similiter perfectius, quatenus concipitur relatè, vel ad maiorem perfectionem creaturæ per affirmationem, vel ad imperfectiones minores per negationem, uti supra notatum iterum fuit. Verum illiusmodi inæqualitas, & maior, ac minor perfectio attributorum Dei, eorundemque partitio, ac multiplicitas ex modo concipiendi: nullam dicit, aut imperfectionem rationis ex parte Dei, aut falsitatem simpliciter in intellectu nostro. Quia fundatur in natura rerum creaturarum, & in imperfectione nostri intellectus, dependentis quidem ab illis circa Deum, non tamen propterea iustificantis talem esse Deum in se, qualis est modus no-

ster cognoscendi ipsum; sed potius id omnino negantis. Ex his omnibus patet satis ad obiecta; & constat idoneè dividi attributa Dei in negativa: & positiva.

Art. 8. De doctrina usque aded brevitè tradita in hac quæstione videri plura possunt in eius confirmationem apud Dionysium præsertim cap. 7. de div. nom. antè medium, ubi eadem prædicata significat positivè, & negativè, affirmat, & negat de Deo, ob diversum utriusque connotationis modum superius explicatum, dicens inter alia: *Itaque in omnibus Deus cognoscitur, & sine omnibus scientiaque Deus cognoscitur, & ignorantia; estque eius & notitia, & ratio, & scientia, & tactus, & sensus, & opinio, & visio, & nomen, & cetera omnia; & neque intelligitur, neque dicitur, neque nominatur; neque etiam est aliquid eorum, quæ sunt, neque in quoquam eorum, quæ sunt, nascitur; Et in omnibus est omnia, atque nihil in quoquam; omnibusque ex omnibus cognoscitur, & ex ulla re nemini.* Eodem pertinet caput quintum de Myst. Theol.



QVÆSTIO VII.

Utrum solus Deus sit infinitus, & immensus?



IDEATUR non esse 1. Quia finitum, & infinitum sunt proprietates quantitatis, ut dicitur 1. Phyl. tex. 66. Vnde de ratione infiniti est, ut sit imperfectum, utpote constans partibus, & materia, ut dicitur 3. Phyl. tex. 15. Deo autem, neque convenit quantitas, neque imperfectio vlla. Ergo nec infinitas.

2. Deus non esset immensus, seu infinitus secundum locum, si ita adesset alicubi, ut alibi non adesset. Ergo non est infinitus secundum esse. Patet consequentia; quia ita sibi convenit aliquod esse, nempe quod est proprium, & peculiare ipsius: ut non conveniat aliud esse, nempe Angeli hominis, ligni &c.

3. Si Deus esset immensus, ideoque adesset ubique, cum simul sit omnino simplex, ut dictum est supra; sequeretur adesse adequatè idem tertio, quæ sunt inter se maxime distantia. Quod tamen est impossibile non secus, ac identificari adequatè eidem tertio, quæ distinguuntur inter se realiter.

4. Nullibi erat Deus, antequam quidquam faceret; neque modò est in spatiis, uti dicunt, imaginariis. Quia impossibile est esse in nihilo, seu sibi esse, ubi nihil est; ideoque nec locus ipse est, aut spatium vllum realiter. Deus autem nullus est capax mutationis. Ergo neque modò vllibi est, aut potest esse alicubi de nouo.

5. Virtus cuiusque rei proportionatur essentie eius, & virtuti effectus; Ergo repugnat Deum esse infinitum, & immensum; & non posse talem esse aliquem eius effectum: ergo neutrum est proprium, & peculiare ipsius.

Articul. 1. Respondetur. Constat Deum esse infinitum ex Psal. 144. *Magnitudinis eius non est finis.* Esse verò immensum colligitur ex Psal. 113. *Si ascendero in Cælum, Tu illic es. Si descendero in infernum, ades;* & ex 2. Paral. 26. & cap. 6. 18. *Si Cælum, & cæli cælorum capere eum nequeant: non te capiunt,* & in Simbolo Athanasij dicitur *Immensus Pater,* &c. Vtriusque attributo accommodatur à Gili-

lio, & alijs illud Baruch. 3. 25. *Magnus est, & non habet finem, excelsus, & immensus.* Vtrumque verò definitur expresse in c. *Firmius* de summa Trinitate, & fide Catholica.

Art. 2. Non est autem quantitativa infinitas propria Dei, nec consistit in magnitudine, aut multitudine partium; siquidem Deus nullas habet partes, ut dictum est, q. 3. Consistit itaque in plenitudine perfecta essendi ratione cuius ita in se includit omne purum esse secundum omnes ipsius gradus absolute possibiles, ut nullo unquam limite, ac termino coercetur citra ambitum totius possibilitatis. Quin in eo assignata, in quovis genere, qualibet virtuali magnitudine finita essendi v.g. ut tria, aut centum; eaque pluries, & pluries quantumlibet replicata, nunquam pervenitur ad aequalitatem cum Deo, sed semper supererit aliquid extra eum excessu incomparabili. Quod est proprium infiniti, & pertinet ad eius formalem, & explicitum conceptum iuxta Phil. 3. Phys. c. 6. Ratio huius est. Quia Deus est ens à se, ut dictum est supra, ideoque nihil est, per quod limitetur, ac restringatur infra summum, ac infinitum.

Art. 3. Ad infinitatem consequitur immediate immensitas; Tum quia quod non est immensum, eo ipso patitur aliquam in eo genere limitationem; ac proinde nequit esse infinitum simpliciter, & in omni genere: tum quia unumquodque iuxta suam entitativam magnitudinem perfectionis, obtinet proportionaliter magnitudinem suae diffusionis, & quali extensionis in ordine ad spatium, ut ostenditur inductione, & ratione à priori in qq. de Angelis; ac proinde infinitum secundum esse necessarium est immensum secundum spatium; tum denique quia ad infinitatem simpliciter spectat potestas non minus ubilibet quam quilibet agendi; quae absque ubiquitate, seu immensitate esse non potest. De quo alibi. Infinitus igitur, & immensus est Deus.

Ad 1. Philosophus in illis locis non agit de infinito ut sic, aut de infinito simpliciter, & in omni genere, sed de solo infinito sensibili, & extenso proprie sine fine. Vnde neutrum illorum est de re.

Ad 2. Sicut de ratione immensitatis est, ut sit formaliter, ubicumque est, aut potest esse aliquid aliud; non tamen, ut sit alicubi (præterquam virtualiter, & eminenter) eo modo, quo inibi est, aut potest esse aliquid non immensum; ita est de conceptu entis simpliciter infiniti, ut contineat in se formaliter omne purum esse; non tamen, ut contineat, (præterquam eminenter) aliquid esse mixtum, seu quasi mixtum cum imperfectione.

Ad 3. De conceptu identitatis est, ut iis, quæ identificantur adequatè cum aliquo tertio, conveniant omnia, quæ conveniunt eidem tertio. Vnde fieri non potest, ut simul distinguantur inter se realiter. At non est de conceptu præsentium eidem tertio, ut conveniant similiter cum eodem quoad omnia prædicata, ut patet. Quare si unum aliquod simplex æquivaleret duobus, poterit utriusque adesse se toto totalitate entitatis, quin propterea utrumque adsit illi totaliter totalitate spatij; ac proinde quin alterutrum adsit alteri. Tam enim fieri potest, ut simplex illud excedat amplitudine spatij, quam ut excedat magnitudine perfectionis.


Art. 1. Ad 4. Deus, antequam quidquam faceret, erat actualiter in se ipso tantum, atque adeo erat uniformiter ubique. Quia Deus per se ipsum essentialiter est suum ubique esse, suæque ubiquitas; sicut essentialiter est suum esse, suæque aternitas.

Erat itaque Deus, ante mundum conditum, ubi, & quando nihil erat præter ipsum; non ubi, & quando nihil erat simpliciter. Erat enim ipse, qui est, & erat suum ubi, & suum quando, non secus, ac est, & erat sua cognitio, & suus amor. Qua de re videri potest inter alios D. Bernardus l. 5. de consideratione c. 6.

Art. 2. A mundo autem condito, Deus est extra ipsum mundum vndequeque infinite, seu, ut dicitur, in spatijs omnibus pure imaginarijs, per præsentiam re ipsa penitus absolutam; eodem nimirum prorsus modo, atque dictum est fuisse ubique ante creationem rerum. Cuius veritatis sinceritatem ex se non valde difficilem, quæ capiat, multi multis obnubilant; exornat verò quamplurimum, de more, ex Scriptura, & PP. Petavius tom. 1. Theol. lib. 3. à cap. 7. At in ipso mundo, inque singulis eius partibus adest præterea Deus specialiter per essentiam, præsentiam, & potentiam, specialitate fundata, non in mutatione Dei, sed in mutatione creaturarum transeuntium de non esse ad esse.

Art. 3. Hoc videlicet est essenziale rebus creatis, ut ex suppositione, quod existant, sint in primis indistantes à Deo per intimam sui penetrationem adequatam cum ipso; deinde, ut immediate terminent intuitionem Dei ad se, subsintque eius providentiæ; demum, ut æquè immediate dependeant ab eius influxu quoad esse, & conservari. Ratione primi, dicitur Deus esse in creaturis, per essentiam; ratione secundi; per præsentiam; ratione tertij, per potentiam, ut exponit D. Thomas q. 8. art. 3. & alij communiter. Sed primum illud tantum modo pertinet formaliter ad immensitatem, & præstat per ipsam conditionatè quidem, antequam existant creaturæ, & ubi non existant; absolute verò, cum existunt, & ubi existunt.

Ad 5. Impossibile est ab infinito simpliciter, & in omni genere fieri aliquid sibi æquale. Quia quod sit ab alio, non sufficit sibi adesse, & indiget illo alio. Quod non cadit in infinitum simpliciter, & in omni genere. Cui autem repugnat, ut sit infinitum simpliciter, repugnat etiam, ut sit immensum. Quia magnitudo in ordine ad spatium commensuratur magnitudini entitativæ, ut dictum est. Quare necesse nequaquam est, ut virtus activa proportionetur essentiae Dei Arithmetice, sed vellic, vel Geometricè tantum quoad magnitudinem effectus producibilis per ipsam. An verò fieri absolute à Deo possit infinitum secundum quid, seu in certo quodam tantum genere, nempe secundum magnitudinem vel continuam, vel discretam? Quæstio est nihil conferens ad scopum quæstionis præsentis. Quia infinitas Dei propria tam differt à tali infinitate, quam differt à quolibet, sub omni ratione, finito.



QVÆSTIO VIII.

Vtrum solus Deus sit immutabilis, & æternus.



DETVR non esse. 1. Quia Deus est intelligens. Intelligere autem est quoddam pati, iuxta Philosophum; atque pati est mutari, cum nihil patitur, quin aliter se habeat, quam prius.

2. Deus